



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi**

**Spina, Claudius de**

**Parisiis, 1551**

27. de virtute eiusque actibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38840**

ratur bonis. Attende diligenter quæ dicta sunt, & confer in vnum. Sic enim aperietur quod superius quærebatur. Dixit equidem opus virtutis esse bonum vsum illorum bonorum, quibus etiam non bene vti possumus, id est mediorem, in quibus posuit lib. arbitr. cuius quoque bonum vsum dixit esse virtutem. Quod si est, non est opus virtutis quod supra dixit: quia aliud est virtus, & aliud opus virtutis.

DE VIRTUTE EIUS-  
que actibus.

DISTINCT. Vigesima septimæ  
CAP. Primum.

*Definitio Virtutis.*

**H**ic videndum est quid sit Virtus, & quid sit actus vel opus eius. *Virtus est* (vt ait Aug.) bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, & qua nullus malè vtitur, quâ Deus solus in homine operatur. Ideoq; opus Dei ratum est, sicut de virtute iustitiæ Aug. docet super illū locum Psal. Feci iudicium & iustitiam: ita dicens, *iustitia magna virtus animi est*, quam non facit in homine nisi Deus. Ideoque cum ait Proph. ex persona Ecclesiæ, Feci iustitiam: nō ipsam virtutem, quam non facit homo, sed opus eius intelligi voluit. Ecce apertè insinuatur hic, quod ipsa iustitia

*lib. 3 de civ. 27. a  
lib. 4 de civ. 5. cap. 6.  
Virtus.*

*iustitia*

in homine non est opus hominis, sed Dei: quod & de aliis virtutibus itidem intelligendum est. Vnde Apost. Ephe. scribens, fidem non ex homine, sed ex Deo tantum esse asserit, inquit: Gratia estis saluati per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum est. quod à sanctis ita exponitur: Hæc scilicet fides, non est ex vi naturæ nostræ, quia donum Dei purè est. Propterea quidam non inruditè tradunt virtutem esse bonam mentis qualitatem siue formã, quæ animã informat: nec ipsa est motus vel affectus animi: sed ea liberum arbitr. iuuatur vt ad bonum moueatur & erigatur. & ita ex virtute & libero arbitrio nascitur bonus motus vel affectus animi, ex quo bonum opus pcedit exterius: sicut terra rigatur pluuiã, vt germinet & fructum faciat: nec pluuiã est terra, germẽ, nec fructus: nec terra germen vel fructus, nec germẽ fructus: Ita gratis terrę mentis nostrę, id est arbitrio voluntatis, infunditur pluuiã diuinę benedictionis, id est inspiratur gratia, quod solus Deus facit, non homo cum eo, qua rigatur voluntas hominis vt germinet & fructificet, id est sanatur & præparatur vt bonum velit, secundum quod dicitur operans: & iuuatur vt bonum faciat, secundum quod dicitur cooperans. Et illa gratia non incongruè virtus nominatur, quia voluntatem hominis infirmam sanat & adiuuat.

Virtus. 2.

fol. 133 b. 10.

Modus bonus bu-  
137. a

e simili.

Gratia  
operans

cooperans

## CAP. Secundum. Gratia est principalis causa merendi.

**C**Vi quidem gratiæ in bonis merendis causæ principalitas attribuitur: quia principalis causa honorum meritorum est ipsa gratia, qua excitatur lib. arbitr. & sanatur atq; iuuatur voluntas hominis, vt sit bona: quæ etiam Dei donum est & gratia. Vnde August. ad Sixtum presbyterum: Quid est meritum hominis ante gratiam, cum omne bonum nostrum meritum non in nobis facit nisi gratia? Ex gratia enim (vt dictum est) quæ præuenit & sanat arbitrium hominis, & ex ipso arbitr. procreatur in anima hominis bonus affectus, siue bonus mentis motus: & hoc est primum bonum hominis meritum. Sicut ex fidei virtute & hominis arbitrio generatur in mente motus quidam bonus & remunerabilis, scil. ipsum credere: ita ex charitate & libero arbitr. alius quidam motus bonus prouenit, scil. diligere. Sic de cæteris virtutibus intelligendum est. Et isti boni motus vel affectus merita sunt, & dona Dei, quibus meremur & ipsorum augmentationem, & alia consequenter, quæ hic & in futuro nobis apponuntur.

CAP. Tertium. Meritum non est virtutibus tribuendum, sed actibus virtutum.

S

f. 133. b.

Gratia

Filius  
Albertus

**E**X muneribus itaque virtutum boni sumus, & iuste viuimus, & ex gratia, quæ non est meritum, sed facit. Non tamen sine lib. arbit. proueniunt merita nostra, scil. boni affectus, eorumque progressus, atque bona opera, quæ Deus in nobis remunerat: & hæc ipsa sunt Dei dona. Vnde August. ad Sixt. presb. ~~Cum coronat Deus~~ <sup>epist. 103.</sup> merita nostra, nil aliud coronat quam munera sua. Vnde vita æterna, quæ in fine <sup>psal. 98.</sup> à Deo meritis præcedentibus redditur, quia & eadem merita quibus redditur, <sup>psal. 102.</sup> à nobis sunt, sed in nobis facta sunt per gratiam, rectè & ipsa vita gratia nuncupatur: quia gratis datur. Nec ideo gratis, quia non meritis datur, sed quia data sunt per gratiam & ipsa merita, & quibus datur. Et sic fides dicitur mereri iustificationem ea ratione, quia per actum fidei illam meretur: aliàs fides haberet originem ex lib. arbitr. quod quia non est, sic dicitur esse meritum, quia actus eius est meritum. Ex quo colligitur quòd vsus bonus ex virtute est & ex libr. arbitr. sed ex virtute principaliter. Meritum autem ex purissima gratia prouenit. quod Apost. notauit, dicens, Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit. In quem locum ait August. Rectè gratiam nominat. Primum enim solam gratiam dat Deus, & non nisi gratiam, cum non præcedant meri-

ta, sed post per gratiam incipiunt merita. Ut ostenderet etiam lib. arbitrium, addit: Et gratia eius in me vacua non fuit. Et ne voluntas sine gratia Dei putetur aliquid boni esse, subdit: ~~Non autem ego solus~~, scil. sine gratia, sed gratia Dei ~~mecum~~, id est cum lib. arbitr. Quia si ad confirmandam sententiam eorum qui dicunt virtutes esse bonos usus, mentisque motus, adferatur quod dicit August. sup. Iohan. Quid est fides? Credere quod non vides. Credere autem motus est mentis. Respondendum, verba Aug. sic intelligenda, fides est credere quod non vides, id est, est virtus qua creditur quod non videtur.

## EXCLUSIO ERRORVM

Pelagianorum & Manichæorum  
circa gratiam & liberum  
arbitrium.

## DISTINCT. 28. CAP. Primum.

*Liberum arbitrium sine gratia non sufficit ad merendum.*

cap. 9. **I**D verò incōcussè & incūctāter tenēdum, liberum arbitriū sine gratia præueniente & adiuuante, non sufficere ad salutem & iustitiam obtinendam, nec meritis præcedentibus gratiam Dei aduocari: sicut Pelagiana hæresis tradidit. Nam ( vt ait

S ij